









- 1a Boehmer - Bamberg  
1791. 1b Franke
1. Gruiken, Franzott Fridericus: Reatus omnem excludit signum  
Iatrus, continet nullus: Principia iuris observationes.
2. Hommilius, Christianus Grollius: Principia iuris observationes.
3. Knebel, Ernestus Gottfrid Christianus: Principia iuris . . . Doca-  
nus: (ad regulationem iure. Aut rei Augusti Heringi  
initiat) Inest: De jure et iustitia civitate tractatio F
4. Knebelius, Ernestus Gottfrid Christianus: De causis citationibus  
edictalis
5. Knebelius, Ernestus Gottfrid Christianus: De foro iuris, qui  
praeclara conduxit, competente
6. Kohlschutter, Cornelius Christianus: De effecta principiis  
juris naturae et iure civili.
7. Meinhof, Ernestus Gottlieb: Observationes quaedam iuri  
Germanici et Saxonici continuas . . . defendebat
8. Pauli, Martinus, Grollius: Pr. juri . . . causas:  
lectoris benevoli relatione (ad dispensationem iure. Fran-  
jotti Fridericus Grollius initiat)
9. Stuckel, Christophorus Cornelius: Anatus actiones

religious non convenientes ex principiis juris  
publici universalis paucis criminalibus carcere por-  
tari.

10. Stuebel, Christopherus Carolus: De servitate pauperum ad  
agronum praesertim desertorum culturam utilitatem  
regunda.

11. Thalnizer, Dr. Augustus Hieronymus: De criminalio  
et statu iustitiae districto.

12. Triller, Petrus Fridericus: De paenitentia quo officiis  
ex placitis iuri naturali recte a estimandis

13. Triller, Petrus Fridericus: Observatores nonnullas  
ex jure metallico deponentes . . . publico . . . manu  
submittit

14. Weberus, Michael: De iustitia Dei

15. Wendorffius, Gmelius: An in Saxonia successores  
fentales se inita iustitia a praevalenti metallici  
liberare possint?

16. Werdorffius, Gallus: De testibus ~~secundis~~ novis, super  
novis etiam articolis probatoribus examinando
17. Werdorffius, Gottlob: De rabio legitimorum per  
rescriptum principis jure in Germania
18. Wiesandus, Georgius Stephanus: Ord-jur... Decanus;  
lectori generali salutem (ad Disputationem in ang. Pinti  
Christophori Caroli Habel invitat)
19. Wiesandus, Georgius Stephanus: Ord-jur'Dci... Decanus.  
lectori generali salutem (ad Disputationem in ang. Ernesti  
Oppellici Meinolfi invitat)
20. Wiesandus, Georgius Stephanus: Ord-jur'Dci... Decanus;  
lectori generali salutem (ad Disputationem in ang. Ernesti  
Oppellici Meinolfi invitat).
21. Wilisch, Christianus Fiducianus: De tumultu ac seditione  
praesertim ex non minus mandatis Electorali Sachsenico.
- 1792.
1. Stell, Carolus Gustavus Ehrenfeud: Observaciones iuriis  
controversi.

2<sup>a</sup>-Hommel  
1792.

2. Hommelius, Christianus <sup>Gesetz</sup>: De furtis agrariis comunque  
paenit.

3. Kluegel, Ernestus <sup>Gesetz</sup>: Christianus: Coll. juris Sia  
Decimus: I. b. s. (ad Proportionem in ang. Gottholdi  
Lebrechtii Sachsi invitat) Inest: De Diffessione restitutio  
in furti quaestione

4. Kluegel, Ernestus <sup>Gesetz</sup>: Christianus: Coll. juris Sia  
Decimus: I. b. s. (ad Proportionem Coll. Woltzeni Eben  
prost. Ebelt invitat) Inest: processus iustitiae  
ex legibus Saxoniciis receptio.

5. Kluegel, Ernestus <sup>Gesetz</sup>: Christianus: Coll. juris Sia  
Decimus: I. b. s. (ad Proportionem in ang. Gottholdi  
Othonis Funzio invitat) Agitur: In iustitia in vacatis  
Saxoniae parte successore in immobilia et more  
rebus ex parte Flemings co

6. Kellner, Christianus: De causis contenti iure  
processu.

7. Triller, Carolus Fredericus : De pueris illasque  
finibus ex placitis iuris naturae reote estimandis
8. Wondruffis, Graecis : De morte ex legibus Iovensis,  
uxori mortua, si ejus cognati adint, in immobilia  
ab interato non dacedente.
9. Niesandus, Georgius Stephanus : Disceptationes iuris.
10. Niesandus, Georgius Stephanus : Disceptationes iuris
11. Niesandus, Georgius Stephanus : Disceptationes iuris.
12. Niesandus, Georgius Stephanus : Num et quatenus  
legibus praeceps prohibitives renunciaris possit?







A4

OBSERVATIONVM,  
DE POENIS ILLARVMQVE FINIBVS EX  
PLACITIS IVRIS NATVRAE RECTE  
AESTIMANDIS,  
*SPECIMEN II.*

---

QVOD  
ILYSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E  
**CAROLO FRIDERICO**  
**TRILLERO**

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE,

E N V M E R O E O R V M  
QVI SVB EIVS AVSPICIIS SCRIBENDO ET DISSERENDO  
SE EXERCENT

AD D. XII. APRIL. C I C I C C X C I .

H. L. Q. C.  
PVBLICE DEFENDET

**FRIDERICVS WILHELMVS SCHNORR,**  
SORBIGENSIS.

---

VITEBERGAE,  
EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.



§. 6.

*Notio poenae, illiusque diuisio, generalis*

**E**st igitur res omnibus dubiis absoluta, omne ius ex communi ratione esse aessimandum, legesque positivas modo ea repetere debere, quae ex sana ratione innotescunt, cum praecepta iuris naturalis diuersis hominum conditionibus sint accommodanda, quo magis communis salus stabilior. Quam ob rem iura bonos praemii exhortantur, malos poenis coercent, *L. i. §. i. π. de I. et I.* quorum finem principalem HORATIVS <sup>a)</sup> canit:

*Iura inuenta metu iniusti fateare necesse est.*

Legis enim virtus est imperare, vetare, punire *L. i. π. de LL.* inde obligatio ad poenam ex iure prohibitiuo et praeceptiuo deriuanda est, si quis factum omittendum perpetrat, et non omittendum iniusti modo negligit <sup>b)</sup>. Factum est actio humana singularibus effectibus, (circumstantiis) pro legis ratione necessariis, considerata <sup>c)</sup>, et in significatu generali actiones omisissas et commisissas comprehendit. Illustris HÖFFNERVS <sup>d)</sup> priores eo respectu facto numerat, quo quis eas omittere ex proprio secum constituit; facti enim notio specialis actualem negotii, externe declarati, inuoluit perfectionem. Hinc cum leges alias actiones prohibeant, alias praecipiant, finis earum exigit, ne violentur. *Hor spectant leges, inquit CICERO,* <sup>e)</sup> *hoc volunt, incoharem esse cimum coniunctum.*

22

<sup>a)</sup> *Lib. I. fut. 3. v. iii. GROTIUS I. B. et P. in proleg. n. 19.*

<sup>b)</sup> MARCIANVS in *L. 2. π. de LL.* legem vocat ex Chryssippi sententia praeptricem faciendorum et prohibiticem non faciendorum, uti κανόνω δικαιοσύνης αὐτοῖς αὐτοῖς ab eodem appellatur, quae simili modo a CHRYSOSTOMO orat. 73. laudatut περιγραφαν κανόνω δικαιοσύνης.

<sup>c)</sup> vid. KÖHLERI *Exerc. jur. nat.* §. 383.

<sup>d)</sup> In *præfatos. jur. nat. et Gens.* §. i. n. i.

<sup>e)</sup> *De offic. Lib. 3. c. 5.*



coniunctionem: quam qui dirimunt eos morte, vinculis, damno coercent.  
*Atque hoc multo magis exigit ipsa naturae ratio, quae est lex divina et humana.* Sic poena in genere dicitur malum passionis, quod ob malum actionis infligitur, quippe quae omnem actum sanctioni legis repugnantem, nota dignum indicat. Poena est effectus legis, eiusque comminationis, communis, qualis lex, talis inde poena oriunda. Hinc vii ius in diuinum et humanum, diuinum rursus in naturale et positivum dispescitur, ita etiam poenas in humanas et diuinias, et has in naturales et positivas distingunt, De singulis iam paucis acturi.

## §. 7.

*Poenae physicae quatenus sub notione poenarum comprehendantur, disquiritur.*

Poenae diuinae in genere sunt mala passionis illicitis actionibus a Deo destinata. Determinantur vero partim per se ex inde et ordine humanae naturae, partim ex Dei voluntate pendent. Ad priores referuntur, quae dicuntur *naturales*, quas statui naturali conuenientes ex sana ratione cognoscimus, quae in significatu latiori et *physicas* complectuntur, seu mala actionem malam immediate et sponte sequentia. Aestimandas sunt ex officio hominis primo, eoque sanctissimo, sui conseruatione et perfectione, quae nascitur felicitate *interna*, ratione animi, atque *externa*, ratione corporis, tuenda. Qui huic fini non conuenienter agit, sibi ipse iniuriam infert, et vtramque vel impedit, vel turbat, vel destruit. Et cum hac ratione ipse se punire videatur, et nemo sit praesumendus, sibi poenam esse dicturum, physica haec mala, proprie esse poenas, negant. Sed infirmitates humanas, quas imputare iniustum, commiscent cum malis, ex actione prava necessario oritur, quorum causam ipse praebuit, et quae naturali quadam connexione actum, contra se suscepimus, sponte concomitantur. Ipsa natura turbatum, et praescriptum ordinem laetum, punit. Sic qui corpus luxuriae et voluptatibus tradunt, celeri cursu fata decurrunt, viata variis morbis obnoxiam, et sibi molestiam, reddunt, qua de causa vere SENECA epif. 98. morbos *supplicia luxuria* vocavit. Hoc respectu mala malis compensantur, et homo, ob damnum, quo corpus affectit, sibi illud: *sum egomet mihi funeris auctor, acclamet.* Se ipse quasi accusat

accusat, et corpus, naturali sua perfectione per iniurias admissas destitutum, contra animum, seu prauam voluntatem causam suscipit, illumine condemnat; ut acute philosophatur DEMOCRITVS<sup>f)</sup>: ὡς ἐι το σῶμα δικαστο τῇ φυγῇ κακωστεως εὐη ἀντην αἴτοφυγεῖν. Sed ita mortales non solum felicitatem externam laedunt, sed et internam, tranquillitatem animi, quae nimirum summo illo bono:

*Nil conscire sibi, nulla pallestere culpa,  
internuntur. Praua enim actus scelerati conscientia animos illorum iuu-  
sii terroribus afficit, quos*

*diri conscientia facit*

*Mens habet attonitos et furdo verbere caedit<sup>g)</sup>.*

Semper testem criminis admissi in animo alunt, cum sibi mente concipiunt mala, actionibus illicitis, partim contra propriam, partim aliorum salutem susceptis, destinata. Haec est poena physica, quae omne delictum sponte sequitur. Ipsa sana ratio factum, turpiter admissum, poena dignum iudicat, et hac ratione quilibet in se ipso facultatem puniendo habere, et sibi iudex esse videtur, teste IVVENALE<sup>h)</sup>:

— — — prima haec est ultio, quod se  
Iudice nemo nocens absoluuntur, improba quamvis  
Gratia fallaci Praetoris vicerit urna.

### §. 8.

#### *Poenarum diuinarum posituarum breuis expofitio.*

Poenae diuinae, quae positivae vocantur, duplēcē significatum admittunt. Habent enim vel certam determinationem ex expressa Dei voluntate per scripturam sacram declarata, vel ex arbitrio Dei ob violatam legem constituantur, quae arbitriae vocantur<sup>i)</sup>. Quas posteriores in primis de aeternis accipiunt, BECMANNVS<sup>k)</sup> tamen

a 3 eius-

f) Quod dictum citat PLUTARCHVS in praecēptis de sanit, tuenda T. II. p. 135.

g) Sat. XIII. v. 193. IVVENALIS.

h) Sat. cit. v. 2.

i) Vid. KÖHLERI Exer. I. N. §. 364. et HEINECCII I. N. et G. Lib. I. §. 66.  
in not.

k) In Medit. polit. cap. 15. §. 1.

eiusmodi poenas late sumit vel *negative*, pro defectu rei alicuius gratae, seu praemii, vel *positive*, pro malis passionis ob malum actum inflatis. Poenas aeternas iam Gentiles statuisse multa exempla apud veteres prostant, cui opinioni his causam dicit *LVCRETIVS* <sup>1)</sup>:

*Aeternas quoniam poenas in morte timendum.*

Possem equidem testimonio ex mythologia, de poenis Sifypho, Tityo et Danaidibus, apud inferos statutis, si opus videretur, de prompta afferre. Sed ab his differunt poenae a Deo per scripturam sacram definitae, quas vulgo in *uniuersales* et *particulares* dividunt. Hac in lege Hebraea fuerunt *determinatae*, in qua Deus modum, delicta obuenientia puniendi, Iudeis praescripsit, quae vnicce ex genio, indele, et moribus Iudaicæ Nationis sunt aestimandæ <sup>2)</sup>; illæ vero omnibus hominibus latæ dicuntur. Sed iam ante dictum, legem criminalē positiuam yniuersalem singi non posse, ne diuinam quidem, quia Gentiles eam non agnoscunt, nisi fundamentum illius iam ex sana ratione innoscet, quae vero proprie est lex naturalis, et a Deo repetita. Ita lex de homicidio doloso puniendo est iam naturalis, ideoque yniuersalis, de qua tamen quaestione excutienda alio loco opportunitior erit dicens occasio.

§. 9.

*Poena humana quatenus statui naturali conueniat.*

Iuris humani igitur autores sunt homines, quibus in statu ciuitatis competit potestas legum in vilitatem ciuium ferendarum, ac poenarum constitendarum. Inde poena humana est malum a superiori in statu ciuitatis ob transgressionem legis inflictum. Eam imperio humano propriam vindicant, et poenarum generi, quo extra ciuitatem iniuriae coercentur, opponunt <sup>3)</sup>. Sed cum in omni re respiciendum sit ad finem principalem, non ad ea, quae a causa superuenienti dependant et fortuito accident, certius patet, poenam, vt in imperio humano obuenit, non differre ratione finis, ab illa quae statui naturali consentanea.

<sup>1)</sup> de fer. nat. L. I. v. 112.

<sup>2)</sup> vid. PUFFENDORFFIUS in I. N. et G. L. g. c. 3. §. 26.

<sup>3)</sup> vid. PUFFENDORFFIUS l. cit. §. 2. et 7. 12. 22. 23. 24. 25. 26.

sentanea et necessaria cognoscitur. Variat modo inter se pro modo infligendi et facultate exigendi, et hoc respectu poena aliam personam in foro humano, aliam, ut ita dicam, in foro naturali, induere videtur. In civili imperio quidem poenas superior, qui in libertate naturali deficit, dicitur, sed exinde concludi nequit, poenam humanam statui naturali non conuenire, quin illius effectus et finis potius ex praceptis iuris naturae deriuari atque applicari possit. Nihilo tamen secius haec res Doctores in varias traxit sententias, ex quibus poenam humanam, vnicae partem imperii humani esse, probare voluerunt.

§. 10.

*Rationes Doctorum, cur in statu naturali poenae humanae locus non esse possit, recensentur.*

Liceat nobis iam paulisper dubias negantium quaestiones proferre, atque ad eas pro ingenii facultatibus exiguis respondere. Opponunt enim

I. Neminem posse alteri poenas imponere, nisi qui in ipsum habeat imperium, inter quos imprimis nominabo PUFFENDORFIVM<sup>9</sup>), qui tamen ipse sibi parum constans, immo anceps haerere videtur. Concedit quidem, (ipsis eius verbis utar) quenlibet actiones ad socialitatem, tanquam bonum virtutis generis humani, referre debere, exinde tamen non sequi, singulos debere quoslibet actus ad societatem facientes exercere, qui utiliter exerceri nequeunt, nisi certis positis requisitis. Sed tota haec propositio et obscuris et contradictoriis includitur terminis. Si enim singuli actiones, saluti humani generis conformes, instituere debent, singuli etiam ad poenam contraria ex parte obligantur, si fidem contrarias admittunt. Et cum singuli ea conferant, quae stabiliendae felicitati totius societatis inseruiunt, ea vero omnibus viribus remoueant, quae eam laedunt et turbant, concludi potest, ius poenas sumendi esse actum, ad societatem pertinenter, quem singula illius membra conseruandae securitatis causa exercere possunt, uti hoc, de finibus poeniarum dicturi, latius deducere studebimus. Sed idem Auctor loc. c. §. 4.

II.

9) loc. cit. f. 7.



II. Alium lapidem sibi mouet, afferens, poenam per modum *coassio-*  
*nis* seu *inuitis*, imponi, ideo neminem ad poenam teneri, quippe  
 quae voluntatis auersionem inuolueret, et praesunendum non esset,  
 aliquem in id consentire, quod passionem inferat maxime fugien-  
 dam, et quis modo ad ea praestanda dici posset obligatus, ad quae  
 ultro et libenter moueretur<sup>2)</sup>. Quae tamen opinio facili negotio  
 componi potest, quia haec ad poenam obligatio non ex pacto, sed  
 potius ex ipsa lege effectus suos fortitur. Illud enim, *neminem laetare*,  
 non ideo sancte custodiendum et obseruandum est, quia quasi pa-  
 cium singi deberet, adest potius legis immediata obligatio, quae ob  
 officii huius violationem, ipso iure infligendae poenae locum relia-  
 quit. Libenter largior, neminem obligari, ut sibi ultro poenam ar-  
 cessat, et plurimos pariter, se ad spontaneam delicti confessionem  
 teneri, nona putare. Saepius enim valet illud *QVINCTILIANI*<sup>3)</sup>, ne-  
 que est quisquam tam inutilis filii, qui non sceleris committit pro-  
 pto negandi. Exinde tamen obligatio ad poenam, ex ipso facto  
 illicito contracta, negari nequit, eam enim ipsa lex producit, per  
 quam alii obstrictus manet ad satisfactionem praestandam, neque  
 exceptio valet, quod hoc se *inuito* fiat, hoc enim omnem poenam  
 concomitari debet, et quidem *physice*, non *moraliter*, quod enim  
 quis meruit pati, non inuito, sed potius volenti, accidisse videtur.

### §. II.

#### *Antecedentis ſphi continuatio.*

III. Dissidentes obiciunt, ideo poenam humanam in liber-  
 tate naturali obtinere non posse, quia omnes effent aequales, et inter-  
 pares ius puniendi non valeret, cum uice superior media cogendi  
 habeat, quam sententiam, praeter alios, tuetur *HEINECCIUS*<sup>4)</sup>. *GRO-*  
TIVS

p) vid. III. *MASCIVIUS* ad h. loc. not. 6. qui huic sententiae iustos limites  
 posuit.

q) *Declam.* 328. et 313. ipse tamen *Declam.* 11. cap. VI. hoc tulit iudicium:  
 actum est de rebus *humanis*, si de *criminibus* ratiundem mendaciis liter.  
 vid. et *CALVERNIUS FLACCUS* *Declam.* 2.

r) *ELEM.* I. N. et G. L. 2. c. 6. et 159.

TIVS <sup>1)</sup> quidem ii locum esse posse non negat, quis vero puniat, in eo haec sit. Dicit quidem, hoc iam naturae conuenire, vt sit a superiori, et sibi ipse causam dicit, si *superioris* vocem eo significatu sumit, vt is, qui male egit, se eo ipso quois alio inferiore fecisse, censeatur, quae testimonio Democriti, Φυσι το αρχειν ειναι τω φυσισσον naturae conuenit, ut melior sequiori imperet, confirmat. Quibus aliud, quod Arriani EPICTETVS <sup>2)</sup> habet, addi potest, νομος ευτος Φυσινος τον καρτον τη χειρον πλεον εχειν, εν δι φυσιτων ει, naturae lex est, meliorem eo quod est melior, meliore conditione esse illo, qui sit deterior. Optimus est ille qui minimis vrgetur viis, qui illo maior habendus, qui iisdem premitur. Qui deliquit ex censu hominum videtur quasi detrusus, et dignitate exemptus, ita vt praestantioribus subiectus reputetur. Immo ne quidem necesse est, vt superior, qui in humano imperio adest, statuatur, quia teste GROTIUS l. cit. ratio hoc non desiderat, cum res magis ex fine suo sit ponderanda. Quorsum alludit ARNOBIVS <sup>3)</sup> inquiens: *in aliis remediis, quae coactionis quid habent, naturam non fecisse discrimen inter personas, quibus id licet, vel non licet statuere.* Inde etiam, quamvis PVEFENDORFFIVS l. cit. §. 1. scrupulum sibi singat, explicari potest, quomodo in ciuitatem ius poenas sumendi a singulis transferri possit. Omnes enim iura, sibi ante ciuitatis nexum competentia, vniuersi voluntati subiecerunt, vt ille ius, singulis antea proprium, ex fine concessionis exerceat. GROTIUS l. cit. §. 22. ante legem poenalem igitur poenae locum esse posse statuit, quia naturaliter qui deliquit, in eo statu est, vt puniri et possit et debeat. In ciuitate vero facultas poenis securitatem conseruandi, ex ipso iure subiectio- nis in imperantem fuit translata. Quam ob rem etiam HOBESIVS ius puniendi ortum non esse ex concessione ciuium asserit, sed situm esse eo in iure, quod ante ciuitatis constitutionem vnicuique faci- endi, quilibet ad sui conseruationem videretur necessarium, fuisset

pro-

<sup>1)</sup> In I. B. et Pac. L. 2. cap. 20.

<sup>2)</sup> Lib. 3. c. 17. p. 325.

<sup>3)</sup> adv. Gent. L. 1. p. 21.

proprium. Non fuit igitur, ut ius antea non competens, ciuitati nunc demum datum, sed in eam, secundum priorem qualitatem, translatum. Fluit hoc iam ex sine, quo singuli felicitati humanae societatis debent consulere et inuigilare, ex quo pariter, subiectio in superiorum facta, est diuidicanda. Hinc omnes coniunctim in ipsius actiones ratas habendas, et in omne id, quod huic fini amplificando inferunt, consensisse censemur. Sed quid moror? restat adiuic, vt

IV. argumenta, quibus etiam dubitantes nituntur, vltima in medium proferam. Ius enim iniurias coercendi ponunt tantum in vindicta, bello, et cautione de non offendendo, quibus mediis vti liceret in statu nat. ad laestiones imminentes repellendas, illatas vindicandas, et futuras praecauendas. *Vindicta* est malum passionis ab ipso laesio inflatum.<sup>v)</sup> Magnas inde differentias statuunt inter poenam et vindictam, et in primis BEYERVS<sup>w)</sup> inter plures, hanc praecipuam recenset, finem vindictae esse eius assecurationem, qui eam sumit, in poena vero esse, ut alii deterreantur. Ex quo ipatet illam societatis humanae saluti non respondere, quia reliquos securos non reddit, et ne laesum quidem laelium praefat. Quid?<sup>x)</sup> si laedens sit viribus maior, vel si laesus membrorum insigni mutilatione, immo ipsius vitae iactura, impediatur, quominus illatae iniuriae vindex existere posset. Delictum maneret impunitum, ius daretur sceleri, et laesio, viribus inferior, alijs metuendis dannis quasi venalis exponeretur, foedusque socialitatis vinculis, quibus colligatum, solueretur. Ex his rationibus satis demonstrari potest, vindictam in significatu stricto non esse soli laesio adscribendam, sed in lato comprehendere quamcunque satisfactionem, quam alii in societate a delinquente exigere possunt. Ius enim ex naturali cognitione cura et necessitas impoluta est<sup>y)</sup>, ut delictis

v) HEINECCIVS *El. I. N. et G. L. 2.* §. 159.

w) In Delineat. Iur. Nat. cap. 31. de poen. n. 7. seqq.

x) Quod MARCUS ANTONINVS Lib. III. §. 4. his verbis docet: οὐγγένεος πάντοι λογίκων, καὶ κηδεόθαι μεγ πλευτῶν αἰρθεσπόνων, κατὰ τὴν τέλος φύσιν εἴσι.

delictis et malitiae iustam metam constituant, quo maiori securitate iniuciem fruantur. Hoc respectu vindicta finem poenae non excludit, et non ratione rei, sed nominis, discriminem intra utramque intercedit, immo interdum promiscue sumitur, et ita VITRIARIUS<sup>z)</sup> poenam definit, quod sit *noxiae vindicta et delictorum coercitio*. Ita et SELDENVS<sup>y)</sup> ipsam *caedem bellicam in poenae ratione satis contineri*, philosophatur, quod alio modo intelligi nequit, quam ut illa poenae indoli legitimae, illiusque fini, respondeat. Nam cautio de non offendendo, per modum belli a laudante exigenda, in spectata, eam securitatis vim, quam poena intendit, non assequitur. Bellum est status per vim certantium, quod poenae qualitatem et proportionem non seruat, cuius rei rationem sat gravem TACITVS<sup>a)</sup> indicat, *vbi bellum ingrat, innocentes et noxiös iuxta cadere*.

## §. 12.

*Commoda ex antecedentibus deducitur conclusio.*

Ex his igitur adductis rationibus, quibus dubias recensitas quaestiones solvere et discutere pro ingenii mediocritate allaborauimus, elucet, ius puniendi ex iure naturae descendere, et imperio humano, pro necessitate, et diuersa conditione exigente, esse applicatum. Cuius rei veritatem iam GROTIUS, BARBEYRACVS, HOBBESIVS, LOKIUS<sup>b)</sup> MONTESQVISIVS<sup>c)</sup> agnouerunt. In eo quidem omnes conueniunt, naturam non determinare, quis poenae sit exactor, hoc vero praecipere, ut exigatur ab eo, qui delictis quietem societatis turhat. Falsam quidem PVFFENDORFIUS loc. cit. §. 7. hanc conclusionem esse colligit: „hic delictum admisit, ergo mihi competit potestas poenam

b 2

de

y) In Inst. jur. nat. et G. L. 2. c. 20. de poen.

z) In I. N. et G. L. 4. c. n. quam tamen sententiam PVFFENDORFIUS loc. cit. §. 4. iustis limitibus circumscripsit.

a) Annal. L. I. cap. 48.

b) de intellect. human. Lib. I. cap. 3. §. 2. et in versione germ. per POLEX pag. 45.

c) L'Esprit des Loix Liv. 6. chap. 15. je crois que les peines tiennent à la nature du gouvernement.



de eo sumendi<sup>c</sup>, sed uti cuilibet in statu naturae incumbit, ut aliis succurrat, eosque contra iniurias defendat, ita singuli obseruare debent, quae societatem in posterum sartam tecumque constituant. *Natura nos cognatos edidit*, inquit SENECA, epist. 95. *sociabiles fecit*, aequum iustumque composuit, et paucis interiectis pergit; *societas nostra lopidum fornicationi simillima est*, quae *castra*, nisi invicem obstante, hoc ipso suffinetur. Iustitia enim, legis divinae vindicta, qua omnes homines ex ipsa natura contra delinquentes vtuntur, ut ciues, omne factum illicitum puniendum praecipit, id quod sequentia verba PLUTARCHI<sup>d</sup>) indicant: δικη τῶν ἀπολογουμένων τε Θείς νόμος τύραννος ἡ χαρακτὴ παντες αὐθεντοι. Φυσει προς παντας αὐθεντες ὑπερ πολτας. Omnis poena cum siue omnis iuris primario conspirat, ex mente CLAUDIA-  
NI<sup>e</sup>) quilibet

*Qui fruitur poena, serus est, legumque videtur  
Vindictam praeflare sibi.* — —

d) de exilio pag. 601. edit. Xyl.

e) In Paneg. in Manil. Theod. cons. v. 224.







Wittenberg, Diss., 1791

ULB Halle  
002 109 840

3



f

sb.



B.I.G.



OBSERVATIONVM,  
DE POENIS ILLARVMQVE FINIBVS EX  
PLACITIS IVRIS NATVRAE RECTE  
AESTIMANDIS,  
*SPECIMEN II.*

QVOD  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE  
**CAROLO FRIDERICO**  
**TRILLERO**

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE,  
E N V M E R O E O R V M  
QVI SVB EIVS AVSPICIS SCRIBENDO ET DISSERENDO  
SE EXERCENT  
AD D. XII. APRIL. C I O I O C C X C I .

H. L. Q. C.  
PVBLICE DEFENDET  
**FRIDERICVS WILHELMVS SCHNORR,**  
SORBIGENSIS.

VITEBERGAE,  
EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVE.